

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum in statu innocentiae fuisse generatio per maris & foeminæ
commixtionem, mansissetque integritas in fomina. disp. 29.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

De opere sex dierum, Disput. xxix. 705

DISPUTATIO XXIX.

Vtrum in statu innocentiae fuisse generatio per
maris & feminam commixtionem, man-
suetusque integritas in famina.

Partem ne-
gantem qui
patres am-
plicentur. **G**regorius Nyssenus in libro de creatione ho-
minis, cap. 18. arbitratur, in statu innocentiae
futuras non fuisse nuptias, nec generationem per
commixtionem maris & feminam, innuitque Ange-
los scipios multiplicasse per actum quedam per-
fectissimum, qui à nobis nequit cogitari, & per
quedam alium illi similem fuisse multiplicandos
homines, qui in eo statu erant futuri, sicut Angeli.
Ea de causa versiculum illum Psalm. 48. Homo, cum
in honore esset, non intellexit, comparatus est summa
insipientibus, & simili factus est illis: exponit idem
Gregorius dicens: Quod cum ante peccatum in tanto
esset honore, ut Angelis esset similis, per peccatum iu-
mentis insipientibus quoad animalē generationem si-
milis est effectus. In eadem sententia fuit Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ, cap. 30. vbi de Adam
loquens sic scribit: Sciens precognitor Deus, quod in
transgressionem laberetur, & corruptioni subiaceret, se-
cit ex ipso feminam, illi secundum ipsum auxiliatricem:
auxiliatricem quidem per eam propagationem, que post
transgressionem esset generis ex successione conseruatio.
Prima enim plasmatio, generatio dicitur, non propaga-
tio. Generatio quidem est ex Ieo prima plasmatio. Pro-
pagatio autem ex condemnatione mortis ob transgres-
sionem, ex se inuenit successo. Et infra: Corruptioni tra-
ditus est, & passibilis pro impassibili, & mortalis pro im-
mortali factus, & consortio ad propagationem, & nau-
ra fluxibili indigens. Haec Damascenus ibi. Et lib. 4.
cap. 25. commendans virginitatem, eamque con-
nubio preferens, subiungit: Post transgressionem, quando
D audiuisti Terra es, & in terram recesseris, quando per
praevaricationem mors intruisti in mundum, tunc co-
gnovit Adam Enam coniugem suam, & concepit, & pe-
perit. Quare propterea, ne exterminaretur & consum-
etur hoc genus à morte, nuptia constituta sunt, ut per
prolis procreationem genus hominum conseruaretur. At
dicent forte: Quid igitur hoc vult mascula & feminam?
Quid hoc, Crescite, & multiplicamini? Ad quod dicimus,
quod hoc crescite, & multiplicamini, non omnino
multiplicationem per nuptiam confocationem signifi-
cat. Potebat enim Deus hoc genus, & alio multiplicare
modo, si mandatum usque in finem seruasset interme-
ratum. Sed sciens Deus (præscientia sua omnia sciens
priusquam fiant) quod futuri erant transgressores &
morte condemnandi, anticipans fecit masculum & fe-
minam, & augeri & multiplicari præcepit. Hacenus
Damascenus. Euthymius quoque idem sensit. In il-
lud quippe Psalm. 50. Ecce enim in iniuriatibus conce-
ptus sum: Si Adam, inquit, non peccasset, numquā oportuisset illum Enam coniungi: peccatum itaque copulam ge-
nerauit. Haec ille. Chrysostomus homil. 18. in Ge-
nesim exponens illa verba: Adam cognovit uxorem suam, commendansque virginitatem, qua fuit ante
peccatum, post multa haec afferit: Proquam per in-
obedientiam intravit peccatum, & sententia mortales il-
los fecit, consequenter omnipotens Deus secundum suam
sapientiam humani generis durationem gubernans, con-
cessit per eorum augmentum iri nostrum genus. In ca-
dem sententia fuit Procopius Gazaeus in illud Ge-
nesim 4. Adam cognovit uxorem suam.

Nuptia &
generatio per
coniunctionem
maris & fe-
minae in sta-
tu innocentiae
fuisse.

Contra tamen sententia vera est, futuras vi-
delicet tunc fuisse nuptias, & generationem per
commixtionem maris & feminæ, quam affirmat &
late probat Augustinus 9. super Genesim ad literam

A à cap. 3. usque ad 11. & 14. de Ciuitate Dei, cap. 16.
Retractatque 1. Retractionum, cap. 10. & 19. con-
trarium sententiam, quam aliquando innuerat. Eam-
dem sententiam assuerant D. Thomas 1. par. q. 98.
Magister & Scholastici communī consenserunt in 2.
dis. 20. Non video, inquit Augustinus, cap. 3. citato,
quid prohibebit poterit, ut effem etiam in Paradiso ho-
norabiles nuptia, & chorus immaculatus, hoc Deo pre-
stante fidelerit, iustisque viuentibus, eisque obedienter,
sancteque seruientibus, ut sine ullo inquieto ardore libi-
dinis, sine ullo labore ac dolore pariendi factus ex eo-
rum semine generarentur.

B Diuus Thomas loco citato merito ait, non de-
futuram in statu innocentiae delectationem in coi-
tante, etiam maiores & iunctiōrem, quam nunc si-
verumtamen sine vita inquietudine & inordinatio
ardore. Delectatio namque & iunctuditas, quam in
operationibus natura posuit, ut cōmodius & prōmi-
prius fierint, non defūsset in statu innocentiae, sed
solum inordinatio, insultatio, continuatioque mo-
tus sine imperio rationis.

Durandus dist. citata quest. 1. non immerito af-
firmat, in statu innocentiae actum coniugalem non
fuisse exercendum, nisi cum proles esset generanda,

Durandi sen-
tentia.

C nullumque fore coniugalem actum, ex quo proles
non susciperetur. Primum probat, quoniam matri-
monium tunc non ordinabatur etiam tamquam me-
dicina ob concupiscentiam, quae tunc non erat, ut
ordinatur modò post effrenatam sensualitatem per
peccatum, sed solum ad prolem generandam: cùm
ergo in statu innocentiae nihil inordinatum & con-
tra rectam rationem foret: efficitur, ut non foret
actus coniugalis, nisi quando proles esset genera-
nda. Secundum verò probat, quoniam cùm tunc na-
tura esset integra, magnamque vim haberet, neque
mas & femina coniungerentur, nisi cùm se aptos
ad generandum sentirent, præterea regio esset tem-
peratissima, abestque omnis morbus, & omnis de-
fectus, sámè nullus fuisse coniugalis eorum actus,
quo non generarent.

Diuus Thomas loco citato etiam notat, cùm
nulla tunc futura esset inordinatio in coniugali
actu, summique fieret cum tranquillitate, nihilque
proinde à diuino amore & contemplatione auoca-
ret, & insuper ordinaretur ad tantum bonum, quā-
rum est generis humani propagatio, præfertim in
eo statu, in quo omnes naucerentur iusti, cōsequen-
ter laudabilem non futurā fuisse virginitatem, nec
præponendam matrimonio, ut post lapsum primo-
rum parentum iure præponi debet.

E Communis Doctrorum sententia hacenus expli-
cata probari potest. Primo, quoniam ea, quae natu-
ralia sunt, nec sunt per peccatum ab homine ablata,
nec per peccatum sunt ei collata: sed naturale est
generi humano vt se per connubia, commix-
tionemque maris & feminæ multiplicet: ergo fuisse
in statu innocentiae. Secundo, quoniam Ena ante
peccatum creata fuit, ut esset in adiutorium Ada-
mo, vt Genes. 2. habetur, nec in aliud in statu inno-
centiae, vt latè, & egregie probat Augustinus de Ge-
nesi ad literam capitibus citatis, quam ad filiorum
procreationem: ergo in statu innocentiae futura erat
filiorum procreatio per coniunctionem maris &
feminæ. Tertio, quoniam ante peccatum iuncti
sunt matrimonio Adam & Ena, vt ex illis verbis
Adami Genes. 2. constat: Hoc nunc os ex offibus meis,
& caro de carne mea: quan ob rem relinquet homo pa-
rem & matrem, & adhæredit uxori sua. & erunt duo
in carne una. Quæ verba referens Paulus ad Ephes. 5.
ait: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in
Christo

Christo & in Ecclesia. Item Genesios primo ante peccatum primis parentibus dictum est. *Crescite, & multiplicamini*: ergo in statu innocentiae futura erat multiplicatio generis humani per maris & feminam commixtionem. Neque sanè Dainasceni responsiones satisfaciunt, vt cuius illas expediti satis est manifestum. Præterea cōfingere in Angelis actum, quo seipso multiplicent, est sane ridiculum: multoq[ue] magis ridiculum est assertere homines simili quodam actu fuisse multiplicandos, si Adam non peccasset. Postremò possumus communem sententiam confirmare, quoniam genus totum humanum in Adam peccauit, id estque peccauit, omnesque, qui ex Adamo procreantur, in originali peccato nascuntur, quoniam gratia & iustitia originalis collata fuerat Adamo tamquā donum naturae in omnes transfundendum, qui ex illo per carnalem propagationem generarentur, eaque ratione omnes nascuntur in iustitia originali ac gratia, iureque in vitam æternam verè priuati: ergo si Adam non peccasset, genus totum humanum fuisset ex Adamo per carnalem propagationem multiplicandum, transfundendaque in omnes esset gratia & iustitia originalis eo ipso, quod ita ex Adamo propagarentur. Sanè tam certam hodie arbitror esse Augustini, Magistri, Diu Thomæ, & ceterorum Scholasticorum sententiam, vt contrariam minus tutam in fide esse existimem.

Obiectio.

Quod si obiectio, Adamus ante peccatum non cognovit Euam: sed eius rei non alia fuit causa, nisi quia carnalis commixtio in statu innocentiae futura non erat: ergo si Augustini sententia est falsa.

Responsio.

Augustinus 9.de Genesi ad literam cap. 4. responderet, causam fuisse, vel quia mox, vt Eua fuit creata facta fuit transgressio, vel quia expectarunt, vt Deus præcipiteret eis coitum.

Ad testimonium ex Psal. 48. quod Gregorius Nyssenus adducit, dicendum est, hominem per peccatum decidisse ab honore in quo fuerat conditus, factumque similem iumentis insipientibus, quoad omnia quae dissoluta sensualitate, eo ipso quod donum iustitiae originalis amisi, subsecuta sunt, atque adeò quod ardorem, efficiensimumque motum, qui in generatione carnali modò cernitur. Hac quod attinet ad primum eorum, qua proposta sunt.

Quod vero attinet ad secundum breuiter cum Augustino 14.de Ciuitate Dei cap. 26.D.Thoma 1. part. quæst. 98.art. 2. ad quartum, & plerisque aliis dicendum est. Per coitum & partum aperiendum quidem virginitatis claustrum (nec enim fuisset tunc corporum penetratio) attamen sine disruptione per solam dilatationem. Quare mansisset claustrum integrum, hoc est, non disruptum & discissum, apertum tamen. Per coitum ergo in innocentiae statu virginitas amitteretur, quoniam de ratione virginitatis non est solum integrata, hoc est, non disruptio claustrum, sed etiam inexperientia coitus, actulque venerei, claustrumque ea de causa non aperiri. Vnde sit, vt solius Deiparae fuerit proprium concipere & parere sine villa prorsus virginitatis intacta: egressus quippe Filij ex sanctissimo illius vetero fuit etiam sine villa apertione & dilatatione claustrum ex gloria animæ Christi resultante subtilitatis dote ad eum solum effectum, vt in egressu cum corpore beatæ virginis se penetraret. Ab hac nostra, Augustini, & D.Thoma sententia parum, aut nihil, dissentire videntur Durandus & Gabriel in 2.dist. 20. si attentè legantur.

*Deipara Vir
genis propriū
ac peculiare
fuit virginin-
tate sicut
concipere &
parere.*

DISPUTATIO XXX.

*Vtrum in statu innocentiae homines statim genit
habuissent perfectum usum membrorum
& rationis, tuncque feminæ, quo
ad eosno*

*P*Veri in statu innocentiae, sicut non statim inter-
gram, & perfectam quantitatem haberent, ad tu-
quam progressu temporis peruenirent (aliquo-
maternus uteru[us] eos non caperet) sic quoque nec
statim eos perfectum membrorum, & rationis usum
fuisset habituros, affirmat D.Thomas 1.par. q.99. & n.10.
101. & Doctores communiter in 2.dist. 20. Ratio
est, quoniam id natura ipsa rei postulat ob nimiam
humiditatem cerebri puerorum, quæ in causa est,
vt & nervi, quibus membra mouentur, teneri ad-
modum sint ac molles, ad motumque inepi, & vt
obtutu[us] sint sensus repletis organis nimia humidita-
te: ea autem, qua natura rei postulat, neganda non
sunt nisi virgines ratio, aut autoritas, contrariu[m]
persuadeat, que nulla est in re proposita. Porro licet D[icit]a illa
dona innocentiae statu concessa defectus omnes
tollerent, qui ad corruptionem vergebant, omnem
que dolorem & afflictionem, qua de causa in infan-
tibus eius status, neque fletus, neque fames, aut flos-
scent: eos tamen defectus qui ortum comitantur,
quique negationes sunt perfectionum, que nondum
debita erant in esse, sed temporis progressu
forent suæ naturæ acquirendæ, minime exclu-
debant. Nec vero puerorum mentes scientiis di-
uiinitus infusis præuenienda erant, sicut primorum
parentum præuentæ sunt. Quoniam scientia illa
ca ratione tamquam donum quoddam personale
illis merito infusa sunt, quia caput totius generis
humani, rectorisque, educatores, ac Doctores ceterorum
institutebantur, per quos rerum cognitione
ad alios deriuaretur. Hec de primo eorum que
proposita sunt.

Quod ad secundum attinet, D.Thomas 1.par. q.99. art. 2. D.Bonaentura, Durandus, Ga-
briel, & plerique alijs in 2.dist. 20. merito affirmant, non quod
non solum feminas in statu innocentiae fuisse ge-
nerandas: eò quod finis propagationis generis hu-
mani postulabat, vt eo modo natura humana à Deo
institueretur, vt feminæ quoque nascerentur: sed
eriam tot fore tunc feminas generandas, quo masculos.
Probatur, quoniam tunc omnes vacantes
generationi: eò quod id laudabilis esset, quia
feruare virginitatem, vi disputatione precedente
ostensem est: vñaque tantum fuisset viri virorum:
id quod & recte ratio postulabat, & innuere vide-
tur Christus Matthai 19. ergo tot feminæ tunc
fuissent genitæ, quo viri.

DISPUTATIO XXXI.

*Vtrum in statu innocentiae omnes homines
fuerint aequales, & de eorum domi-
nio circa res alias.*

H Omnes in statu innocentiae aequales non
fuerint in omnibus, vt D.Thom. 1.par. q.96.
& Doctores communiter merito affirmant. Elenct
enim quidam eorum mares, & quidam feminæ, vt
ostensem est: præstantius autem est mare esse,
quæ feminam. Item quidam essent atque prouen-
tiiores, alijs minus prouecti: quidam fuissent paren-
tes, alijs filii, aliique essent sapientiores, imo & ju-
stiores